



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XL. De eodem, ex statuto domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgensis,  
quod incipit: Ad extirpandam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO CHRISTI 1420. ablata conseruantur, tamdiu cessari debet a diuinis, postquam hoc rectoribus ecclesiarum innotuerit, donec ablata huiusmodi successori defuncti reddantur, in pristino loco reponantur, ac alia satisfactio competens subsequatur.

X L.

*De eodem, ex statuto domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgensis, quod incipit: Ad extirpandam.*

Ecclesiarum patroni, siue clerici aut laici, qui rectore ecclesiae mortuo, dotem & ecclesiam rebus mobilibus seu immobilibus spoliant, cuiuscumque dignitatis fuerint, sunt a iure putandi illa vice suspensi, & collatio ad immediatum superiorem deuoluitur. Insuper etiam ipso facto excommunicationis sententiam incurunt.

X L I.

*De his qui imponunt tallias & exactiones ecclesiasticis personis.*

*Ex statuto domini Pilgrini archiepiscopi Saltzburgensis,*  
*quod incipit: Cum ecclesiæ.*

ImpONENTES clericis & ecclesiasticis personis, & recipientes ab eisdem exactiones, tallias & collectas; si infra mensem, postquam per ecclesiarum prælatos moniti fuerint, non desisterint, vel de dannis illatis competenter non satisfecerint; excommunicati sunt ipso facto, & terræ ipsorum ecclesiastico subiacent interdicto.

X L II.

*De his qui ecclesiasticas personas compellunt soluere paedagia vel quidagia de rebus suis. Ex statuto eiusdem domini Pilgrini,*  
*quod incipit: Constitutionem: & in cap. de censibus, lib. 6.*

Bonifacius VIII. statuit, quod si vniuersitas seu communitas, vel singularis quamcumque persona, cuiuscumque dignitatis fuerit, per se vel per alium, suo vel alieno nomine ecclesias vel ecclesiasticas personas compulerit soluere paedagia vel quidagia, seu exactiones pro rebus suis, quas causa negotiationis non deferunt, vniuersitas talis est interdicta, & personæ singulares excommunicatae. Nec valet contraria consuetudo. Et hæc constitutio per prælatos, archidiaconos & plebanos debet solenniter publicari.

*Concil. Tom. 29.*

Xxxij